

## DE NUTRITIONE;

autem aliquod luminarium occidentem occupauerit, faciens figuram cum infortunis duabus, pluribusue modis, infantes semiuiui oriuntur, aut quasi carnis frustum, aut imperfecta creationis, quare si altera infortuniarum luminare existente in occidente eleuetur, natus non nutritur, neque uitam habebit, secundum regulas predictas.  
Hæc Ptolemæus.

### Aliorum sententiae & aphorismi.

Pro nutri- tione con- sidera.	Ascendentem.
	Dominum eius.
	Dominos triplicitatis ascendentis.
	Partem fortunæ.
	Dominum eius.
	Solem.
	Dispositorem eius:
	Tres dominos triplicitatis Solis.
	Locum coniunctionis uel oppositionis præcedentis:



ABEAS etiam respectum ad gradus qui sunt inter Hylech & infortunam, ad gradus nimirum eiusdem longitudinis & latitudinis, qui si fuerint æquales, & de eadem parte cœli cum luminaribus, uel una eam Hylech existente, natus spatium uiginti quatuor horarum non superabit. Si autem gradus latitudinis fuerint inæquales, ac infortunæ extra eclipticam positi: fortunæ uero in ecliptica in eadem longitudinis parte cum infortunis, nocumentum eorum erit mediocre. Si autem longitudo & latitudo utrorumque fuerit diuersorum graduum, erit debilis. Si autem fuerit in diuersis partibus cœli, in eodem tamen signo diuersorum graduum, fortuna medium tenente, natus accipiet annos nutritionis & uitam, dummodo infortuniarum radij ad præcedentes partes luminarium, fortunarum uero ad sequentes projiciantur.

Significatores nutritionis sunt Ascendens, Dominus eius, domini triplicitatis eius. Pars fortunæ, dominus eius. Sol, dominus eius, domini triplicitatis eius. Locus Coniunctionis uel Oppositionis præcedentis natuitatem.

A dominis triplicitatis ascendentis, tanquam ex radice, scitur de nutritione. Primus enim habet primam tertiam, Secundus secundam, Tertius tertiam, ac ultimam nutritionis partem.

A dominis triplicitatis luminaris conditionarij, tanquam ex radice, scies uitum nati.

Præsentata natuitate, considera principaliter dominos triplicitatis ascendentis, & secundum eos, dic bonam uel malam nutritionem, & hoc in illa parte nutritionis quæ significatur à tali domino triplicitatis.

Domini triplicitatis luminaris temporis in prima, decima, undecima, uel quinta, nutritionē leuem ac bonam significant. Si in septima, malam, anxiam, ac laboriosam,

Si gradus ascendentis & luminare temporis damnati fuerint, non nutritur, nisi domini triplicitatis fuerint salui & firmi in angulis.

Siluna infortunata in ascidente fuerit, non nutritur.

Si Luna in quarta domo coniuncta infortunæ quadrato uel opposito extiterit, non nutritur, eritque mater in periculo, aut forte morietur.

Si Dominus ascendentis combustus fuerit, natus non uiuet octo diebus.

Coniunctio planetarum plurium in ascidente, nutritionem non significat,

De natis qui nascuntur mortui.

DOMI